



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De differentia religionum. Quæstio 188.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo; quia scilicet ex ipsa nouitate homines reddunt intentos ad considerandum. Nec tamen omnis nouitas intentos faciens homines ad considerandum, reprehensibilis est. Potest enim & benè & malè fieri. Vnde * August. dicit in lib. de ferm. Domini in monte, quòd qui in professione Christianitatis inuitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, nõ necessitate patiatur: cæteris eius operibus potest cognosci vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat. Maximè autem videntur hoc non ex ambitione facere religiosi, qui habitum vilem deferunt, quasi signum suæ professionis, qua contemptum mundi profitentur.

QVÆST. CLXXXVIII.

De Religionum varietate, in cõto articulos diuisa.

Deinde considerandum est de differentia religionum.

¶ Et circa hoc quærentur octo.

- ¶ Primo, vtrum sint diuersæ religiones, vel tantum vna?
- ¶ Secundo, vtrum aliqua religio institui possit ad opera vitæ actiue?
- ¶ Tertio, vtrum aliqua religio possit ordinari ad solitudinem?
- ¶ Quarto, vtrum possit institui aliqua religio ad predicandum, & huiusmodi opera exercenda?
- ¶ Quinto, vtrum possit aliqua religio institui ad studium scientiæ?
- ¶ Sexto, vtrum religio quæ ordinatur ad vitam contemplatiuam, sit potior ea, quæ ordinatur ad vitam actiuam?
- ¶ Septimo, vtrum habere aliquid in communi, diminuat de perfectione religionis?
- ¶ Octauo, vtrum religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viuentiũ?

Utrum sit tantum una religio?

900

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non sit nisi una tantum religio. In eo enim quod totaliter & perfecte habetur, diuersitas esse non potest: propter quod non potest esse nisi vnum primum summum bonum, vt in * primo habitum est. Sed sicut ¶ Gregor. dicit super Ezechielem, Cùm quis omne quod habet, omne quod viuut, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est; sine quo religio esse non dicitur. Ergo videtur, quod religiones non sint multæ, sed vna tantum.

inf. a. 6. 107.

q. 6. a. 2.

3. & 4.

¶ ho 20.

inter me.

¶ si.

q. 186. a.

6 & 7.

q. 184. a.

5. & 7.

Refertur

dis. 97. c.

24. legi-

m^o à me.

¶ Ex Hie

ro. in ep.

ad Euag-

rium, a

me. illius

incipit,

Legimus

in Esai.

10. 2.

¶ in decr.

l. 3. ti. 36.

¶ est, de

religiosis

domibus,

c. 9.

q. prac. a.

2. & 96.

186. a. 7.

¶ 2 Præterea, Ea quæ in essentialibus conueniunt, non diuersificantur nisi per accidens. Sed sine tribus votis essentialibus religionis non est aliqua religio, vt * supra habitum est. Ergo videtur, quod ipsæ religiones specie non diuersificentur, sed solum per accidens.

¶ 3 Præterea Status perfectionis conuenit & religionis & Episcopis, vt ¶ supra habitum est. Sed episcopatus non diuersificatur specie, sed est vnus vbicum que fuerit. Vnde ¶ Hierony. dicit ad Euagrium, Vbi- cumque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantino poli, siue Rhegij, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Ergo pari ratione vna sola est religio.

¶ 4 Præterea, Ab Ecclesia tollendum est omne id quod confusionem inducere potest. Sed ex diuersitate religionum videtur quædam confusio posse induci in populo Christiano, vt quædam decretalis ¶ dicit. Ergo videtur, quod non debeant esse diuersæ religiones.

S E D contra est, quod in Psal. 44. scribitur ad orna- tum reginæ pertinere, ¶ sit circumamicta varietate.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut ex * su- prædictis patet, status religionis est quoddam exerci- tium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charita- tis. Sunt autem diuersa charitatis opera, quibus homo vacare potest: sunt etiam diuersi modi exercitiorum.

Y y 2 Et

Et ideo religiones distingui possunt dupliciter. Vno modo, secundum diuersitatem eorum, ad quæ ordinantur: sicut si vna religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiendos, & alia ad visitandos, vel redimendos captiuos. Alio modo, potest esse diuersitas religionum secundum diuersitatem exercitiorum: puta, quod in vna religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in vnoquoque, maior est religionum diuersitas, quæ attenditur secundum diuersos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quæ attenditur secundum diuersa exercitia.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est commune in omni religione, quod aliquis totaliter se debet præbere ad seruiendum Deo. Vnde ex hac parte non est diuersitas inter religiones, vt scilicet in vna religione aliquis retineat aliquid sui, & in alia aliud. Est autem diuersitas secundum diuersa, in quibus homo Deo seruire potest, & secundum quod ad hoc homo se potest diuersimode disponere.

Ad secundum dicendum, quod tria essentialia voti religionis pertinent ad exercitium religionis, sicut quedam principalia ad quæ omnia alia reducuntur, vt supra dictum est*. Ad obseruandum autem vnumquodque eorum, diuersimode aliquis se disponere potest: puta ad votum continentie seruandum se disponit aliquis per loci solitudinem, per abstinentiam, per mutuam societatem, & per multa alia huiusmodi. Et secundum hoc patet quod communitas essentialium votorum compatitur diuersitatem religionis, in propter diuersas dispositiones, tum etiam propter diuersos fines, vt ex supra dictis patet*.

Ad tertium dicendum, quod in his quæ ad perfectionem pertinent, Episcopus se habet per modum agentis, religiosi autem per modum patientis, vt supra dictum est*. Agens autem etiam in naturalibus

q. 186. a.
7. ad 2.

ibid.

qu. 184.
ar. 7.

libus quanto est superius, tanto est magis vnus: ea verò quæ patiuntur, sunt diuersa. Vnde rationabiliter est vnus episcopalis status, religiones verò diuersæ.

Ad quartum dicendum, quod confusio opponitur distinctioni & ordini. Sic ergo ex multitudine religionum induceretur confusio, si ad idem & eodem modo diuersæ religiones essent absque vtilitate & necessitate. Vnde vt hoc non fiat, salubriter institutum est, ne noua religio nisi auctoritate summi Pontificis instituitur.

ARTIC. II.

Vtrum aliqua religio institui debeat ad opera vitæ actiua?

† in dec. citata in arg. 4. * non nisi summi Pontificis auctoritate institui debeat. aliter facta.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod nulla religio institui debeat ad opera vitæ actiua. Omnis enim religio pertinet ad perfectionis statum, vt ex supra dictis patet. Sed perfectio religiosi status consistit in cōtemplatione diuinorum. Dicit enim Dionysius sexto capitulo † Ecclesiasticæ hierarchiæ, quod nominantur ex Dei puro seruitio, & famulatu, & indiuisibili & singulari vita vniente eos indiuisibilem sanctis conuolutionibus, id est cōtemplationibus, ad Deiformem vnitatem & amabilem Deo perfectionem. Ergo videtur quod nulla religio institui possit ad opera vitæ actiua.

901 opus. 19. c. 1. prim. qu. 184. ar. 5. c. 6. p. 1. a. med. illius. in dec. lib. 1. tit. 37. c. 2. in fin. Hier ad Paulinū, parū ante med in epis, Bonus homo. to. 1. in dec. lib. 3. tit. 35. c. 5.

¶ 2. Præterea, idem iudicium videtur esse de monachis & canonicis regularibus, vt habetur extra, de postulando, Ex parte. & de statu monachorum, Quod Dei timorem, Dicitur enim, quod a sanctorum monachorū consortio nō putantur se iuncti. Et eadem ratio videtur esse de omnibus alijs religiosis. Sed monachorum religio est instituta ad vitam cōtemplatiuam. Vnde Hieronymus † dicit ad Paulinum, Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in vrbibus? Et idem habetur extra, de renuntiatione, Nisi cum pridem. Et de regularibus, Licet quibusdam. Ergo videtur, quod omnis religio ordinatur

Y y 3 netur

netur ad vitam contemplatiuam, & nulla ad actiuam.

¶ 3 Præterea, Vita actiua ad præsens seculum pertinet. Sed omnes religiosi seculum deserere dicuntur. Vnde † Greg dicit super Ezechielem, Qui præsens seculum deserit & agit bona quæ uolet, quasi iam Aegyptum derelicta sacrificium præbet in eremo. Ergo uidetur, quod nulla religio possit ordinari ad vitam actiuam.

SED contra est, quod dicitur Iac. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum. Sed hoc pertinet ad vitam actiuam. Ergo conuenienter religio potest ordinari ad vitam actiuam.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, religionis status ordinatur ad perfectionem ebrietatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei & proximi. Ad dilectionem autem Dei directè pertinet vita contemplatiua, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directè pertinet vita actiua, quæ deseruit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum: secundum illud Matth. 23 Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vnde & huiusmodi obsequia quia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur dicuntur esse sacrificia quædam, secundum illud Hebr. vlt. Beneficentiæ & communionis nolite oblitisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Et quia religionem propriè pertinet sacrificium Deo offerri (ut supra habitum est *) consequens est, quod conuenienter religiones quædam ad opera vite actiue ordinentur. Vnde & in collationibus patrum Abbas Nestorius † distinguens diuersa religionum studia, dicit. Quidam summam intentionis suæ erga eremi secretam & cordis insinuunt puritatem, quidam erga institutionem fratrum & cœnobiorum curam, quosdam xenodochij, id est hospitalitatis delectat obsequium. Ad primum ergo dicendum, quod Dei seruitium & famulatus saluatur etiam in operibus vite actiue, quibus

ho. 20. in
ter med.
¶ f.

art. præ.

q. 81. a. 1
ad 1. et a.
4. ad 1.
† in col.
14. c. 4.

quibus aliquis seruit proximo propter Deum, sicut dictum est * : in quibus etiam saluatur singularitas vitæ, *in 10. ar.*
 non quantum ad hoc quod homo cum hominibus non conuerfetur, sed quantum ad hoc quod homo singulariter his intendat, quæ ad diuinum obsequium spectant. Et dum religiosi operibus vitæ actiue insunt intuitu Dei, consequens est, quod in eis actio ex contemplatione diuinorum deriuetur. Vnde non priuantur omnino fructu contemplatiue vitæ.

Ad secundum dicendum, quod eadem est ratio de monachis, & omnibus alijs religiosis, quantum ad ea quæ sunt communia omni religioni: puta quod totaliter se dedicent diuinis obsequijs, & quod essentialia vota religionis obseruent, & quod à secularibus negotijs se abstineant. Sed non oportet similitudinem esse quantum ad alia quæ sunt propria monachicæ professioni, quæ specialiter ad vitam contemplatiuam ordinantur. Vnde in præinducta Decretali *, de postulando, non dicitur simpliciter, quod fit idem iudicium de Canonicis regularibus quod de monachis, sed quantum ad supradicta, scilicet, quod in forensibus causis officio aduocationis non vtantur. Et in Decretali inducta de statu monachorum †, postquam præmiserat quod non putantur à consortio monachorum seiuncti canonici regulares, subditur *, Regula tamen inseruiunt laxiori. Ex quo patet quod non omnia tenentur ad quæ monachi.

in arg. 2.

& habetur loco ibid. cit.

in arg. 2.

** in Dec. citata in arg. 2.*

Ad tertium dicendum, quod dupliciter aliquis potest esse in seculo. Vno modo per præsentiam corporalem, alio modo per mentis affectum. Vnde & discipulis suis Dominus dixit. Ego elegi vos de mundo. De quibus tamen ad Patrem loquitur dicens, Hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Quamuis ergo religiosi, qui circa opera vitæ actiue occupantur, sint in seculo secundum præsentiam corporalem, non tamen sunt in seculo quantum ad mentis affectum: quia in exterioribus occupantur non quasi quærentes

aliquid in mundo, sed solum propter diuinum obsequium. Utuntur enim hoc mundo tanquam non uentes, ut dicitur primæ ad Corinth. 7. Vnde & Iacob. 1. postquam dictum est, Religio munda & immaculata est visitare pupillos & uiduas in tribulatione: subditur, Et immaculatum se custodire ab hoc seculo: ut scilicet affectus in rebus seculi non detineatur.

ARTIC. III.

Vtrum aliqua religio ordinari possit ad militandum?

902

*inf. ar. 4.
ad 2. &
5.*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod nulla religio ordinari possit ad militandum. Omnis enim religio pertinet ad statum perfectionis. Sed ad perfectionem uitæ Christianæ pertinet quod Dominus dicit Matth. 5. Ego dico uobis non resistere malo: sed si quis percusserit te in unam maxillam, probe ei & alteram: quod repugnat officio militari. Ergo nulla religio potest institui ad militandum.

*art. prac.
arg. 2.*

¶ 2 Præterea, Grauior est compugnatio corporalium prætorum, quam concertationes uerborum, quæ in aduocationibus fiunt. Sed religiosis interdicitur officio aduocationis uti: ut patet in Decretali, de postulando, supra inducta*. Ergo uidetur, quod multò minus aliqua religio possit institui ad militandum.

*q. preced.
ar. 6.
de pœn.
d. 5. cap.
Contra-
rium.*

¶ 3 Præterea, Status religionis est status penitentia, ut supra dictum est*. Sed penitentibus interdum iura interdicitur militia. Dicitur enim in Decretis de penitentia distinct. quinta*, Contrarium omnino est ecclesiasticis regulis, post penitentia actionem redire ad militiam secularem. Ergo nulla religio congruè institui potest ad militandum.

*lib. 18. cir-
ca princ.*

¶ 4 Præterea, Nulla religio institui potest ad aliquid iniustum. Sed sicut Isidorus dicit in libro Etymolog. * Iustum bellum est quod ex Edicto Imperiali geritur. Cum ergo religiosi sint quidam priuata personæ, uidetur quod non liceat eis bellum ger-

gerere & ita ad hoc nõ potest institui aliqua religio.

SED contra est, quod August. dicit ad Bonifaciu^m *,
Noli existimare neminem Deo placere posse, qui ar-
mis bellicis ministrat. In his enim erat sanctus Da-
uid, cui Dominus magnum testimoniu^m perhibuit. Sed
ad hoc instituta sunt religiones, ut homines Deo pla-
ceant. Ergo nihil prohibet aliquam religionem insti-
tui ad militandum.

*Habetur
in .epi.
inter 21.
que sunt
in si 2. d.
paru^m an-
te med.*

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum
est *, religio institui potest non solum ad opera vitæ
contemplatiuæ, sed etiam ad opera vitæ actiuæ, in-
quantum pertinent ad subuentionem proximorum &
obsequium Dei, non autem in quantum pertinent ad
aliquid mundanum ꝛ tenendum. Potest autem officiu^m
militare ordinari ad subuentionem proximorum, non
solum quantum ad priuatas personas, sed etiam quan-
tum ad totius reipublicæ defensionem. Vnde de Iuda
Machabæo 1. Machab. 3 dicitur, quod præliabatur præ-
lium Israel cum læticia, & dilatauit populo suo gloriã.
Ordinari etiam potest ad conseruationem diuini cui-
tus Vnde ibidem subditur Iudam dixisse, Nos pugna-
bimus pro animabus nostris & legibus nostris. Et infra
decimotertio dicit Simon, Vos scitis quanta ego &
fratres mei & domus patris mei fecimus pro legibus,
& pro sanctis prælia. Vnde conuenienter potest insti-
tui aliqua religio ad militandum, non quidem pro-
pter aliquid mundanum, sed propter defensionem
diuini cultus & publicæ salutis, vel etiam paupe-
rum & oppressorum, secundum illud Psalm 81. Eri-
pите pauperem, & egenum de manu peccatoris li-
berare.

ar. præc.

*al. tollen-
dum.*

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis potest
non resistere malo dupliciter. Vno modo condonan-
do propriam iniuriam. Et sic potest ad perfectionem
pertinere, quando ita fieri expedit ad salutem alio-
rum. Alio modo tolerando patienter iniurias alio-
rum. Et hoc ad imperfectionem pertinet, vel etiam
ad vitium, si aliquis potest conuenienter iniurianti
resistere.

*l. 1. c. 27.
post med.
20. 1.*

resistere. Vnde Ambrosius dicit in lib. de Officijs 4. Fortitudo quæ vel per bella tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena est iustitia: sicut etiam ibidem Dominus dicit, Quæ tua sunt ne repetas: & tamen si aliquis non repeteret ea quæ sunt aliorum, si ad eum pertineat, peccaret. Homo enim laudabiliter donat sua, non autem aliena. Et multo minus ea, quæ sunt Dei, non sunt negligenda, quia ut Chrysostomus dicit super Mattheum, Iniurias Dei dissimulare, nimis est impium.

*ho. 5. in
Matt. in-
ter med.*

*¶ in in
imperfe-
cto oper.
20. 2.*

*Inducta
a. 2. arg.
2.*

*¶ in Dec.
d. 88. c. 1
decreuit.*

Ad secundum dicendum, quod exercere advocacionis officium propter aliquid mundanum, repugnat omni religioni. Non autem si hoc aliquis exerceret secundum dispositionem sui prelati pro monasterio suo, ut in eadem Decretali subditur. Neque enim pro defensione pauperum, aut viduarum. Vnde in Decretis distinct. 88. dicitur, Decreuit sancta Synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se immiscere, nisi propter curam aut pupillorum, &c. Et similiter militare propter aliquid mundanum, est omni religioni contrarium, non autem militare propter obsequium Dei.

Ad tertium dicendum, quod militia secularis interdicitur poenitentibus, sed militia quæ est propter diuinum obsequium, imponitur alicui in poenitentiam, sicut patet de his quibus iniungitur, ut militent in subsidium terræ sanctæ.

Ad quartum dicendum, quod religio non sic instituitur ad militandum, quod religiosi propria auctoritate liceat bella gerere, sed solum auctoritate principum, vel Ecclesiæ.

ARTIC. IV.

903 *Vtrum aliqua religio possit institui ad prædicandum, vel confessiones audiendum?*

Op. 10. c.

4.

7. q. 1. c.

Hoc ne-

quaquã.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod nulla religio possit institui ad prædicandum, vel confessiones audiendum. Dicitur enim 7. questione prima, Monachorum vita subiectionis habet verbum & disci-

discipulatus, non docendi, vel prædicandi, vel pascendi alios. Et eadem ratio esse videtur de alijs religionibus. Sed prædicare & confessiones audire, est pascere vel docere alios. Non ergo ad hoc aliqua religio potest institui.

¶ 2 Præterea, Id ad quod religio instituitur, videtur esse maximè proprium religioni, vt supra dictū est. Sed prædici actus non sunt proprij religionum, sed potius prælatorum. Non ergo ad huiusmodi actus potest aliqua religio institui. *ar. 2. Co. 3 præc.*

¶ 3 Præterea, Inconueniens videtur quòd auctoritas prædicandi & confessiones audiendi infinitis hominibus committatur. Sed non est certus numerus eorum qui in religione aliqua recipiuntur. Ergo inconueniens est quòd aliqua religio instituat ad actus prædicos.

¶ 4 Præterea, Prædicatoribus debetur victus à fidelibus Christi, vt patet 1. ad Corinth. 9. Si ergo committitur prædicationis officium alicui religioni ad hoc institutæ, sequetur quòd fideles Christi teneantur ad exhibendum sumptus infinitis personis: quod cedit in magnum eorum grauamen. Non ergo debet aliqua religio institui ad huiusmodi actus exercendos.

¶ 5 Præterea, institutio Ecclesiæ debet sequi institutionem Christi. Sed Christus primo misit ad prædicandum duodecim Apostolos, vt habetur Luc. 9. Et postea misit septuaginta duos discipulos, vt habetur Luc. 10. Et sicut glos. † ibidem dicit, Apostolorum formam tenent Episcopi, septuaginta duorum discipulorum minores presbyteri, scilicet curati. Ergo præter episcopos & presbyteros parochiales non debet aliqua religio institui ad prædicandum vel ad confessiones audiendum. *est gl. or. super pri. c. 10. l. u. ex Bedæ ibi. 1. 2.*

SED contra est, quod in collationibus patrū Abbas Nestorius † de diuersitate religionum loquens ait, Quidam eligentes ægotantium curā, alij intercessiōnem, quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exequentes, aut doctrinæ insistentes, aut elemosynas pauperibus *in colla. 14. c. 4. in fin.*

peribus largientes, inter magnos atque summos viros pro affectu suo ac pietate vigerunt. Ergo sicut ad ægrotantium curam aliqua religio potest institui, ita etiam ad edocendum populum per prædicationem, & alia huiusmodi opera.

*ar. 2. hu
ius q.*

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, convenienter religio institui potest ad opera vite acti-
uæ, secundum quod ordinantur ad utilitatem proximo-
rum, & ad obsequium Dei, & conservationem di-
vini cultus. Magis autem procuratur utilitas proximo-
rum per ea quæ pertinent ad spirituales animarum salu-
tem, quam per ea quæ pertinent ad subveniendū cor-
porali necessitati, quanto spiritualia corporalibus sunt
potiora. Unde supra dictum est, quod elemosinæ spiri-
tuales sunt corporalibus potiores. Hoc etiam pertinet
magis ad obsequium Dei, cui nullum sacrificiū est ma-
gis acceptum quam zelus animarum, ut Gregorius dicit su-
per Ezechiel Maius etiam est spiritualibus armis con-
tra errores hæreticorum & tentationes demonum, fi-
deles defendere, quam corporalibus armis populum
fidelem tueri. Et ideo conveniētissimum est ad præ-
dicandum, & ad alia huiusmodi quæ pertinent ad salu-
tatem animarum, aliquam religionem institui.

q. 32. a. 3

*ho. 12. in
Exec. ali-
quantu-
m. au. fi.*

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui operatur
ex virtute alterius, agit per modum instrumenti. Mini-
ster autem est sicut instrumentum animarum, ut Philo-
sophus dicit in 1. Polit. * Unde quod aliquis auctoritate præ-
latorum prædicet, vel alia huiusmodi faciat, non su-
pergreditur discipularis vel subiectionis gradum, qui
competit religiosi.

*1. Pol. e. 3
ante me.
et 8. Eth.
c. 11. non
procul a
fin.*

Ad secundum dicendum, quod sicut religiones ali-
quæ instituuntur ad militandum, non quidem ut mili-
tent auctoritate propria, sed auctoritate principum,
vel Ecclesie quibus ex officio comperit, sicut dictum
est: ita etiam religiones instituuntur ad prædicandum
& confessiones audiendū, non quidem auctoritate pro-
pria, sed auctoritate prælatorum superiorum & inferiorum,
ad quos ex officio pertinet. Et ita subseruire prælati
in

*art. præc.
ad 4.*

in tali ministerio, est huiusmodi religionis proprium.
Ad tertium dicendum, quod à prælatis non conceditur talibus religiosis vt quilibet indifferenter possit prædicare vel confessiones audire, sed secundum moderationem eorum qui huiusmodi religionibus præficiuntur, vel secundum taxationem ipsorum prælatorum.

Ad quartum dicendum, quod plebs fidelis non tenetur ex debito iuris ad sumptus ministrandos, nisi ordinarijs prælatis, qui propter hoc decimas & oblationes fidelium recipiunt, & alios ecclesiasticos redditus. Sed si aliqui in huiusmodi actibus gratis velint fidelibus ministrare, non potestatiue ab eis sumptus exigentes, non propter hoc grauantur fideles: quia etiam ipsi possunt liberaliter recompensare temporalem subventionem, ad quam etsi non teneantur ex debito iuris, tenentur tamen ex debito charitatis. Non autem ita quod eis sit tribulatio, alijs autem remissio, vt dicitur 2. ad Cor. 8. Si tamen non inuenirentur qui gratis se huiusmodi obsequijs manciparent, tenerentur ordinarij prælati si ipsi non sufficerent, alios ad hoc idoneos quæere quibus sumptus ipsi ministrarent.

Ad quintum dicendum - quod formam septuaginta duorum discipulorum non solum tenent presbyteri curati, sed quicumque alij minoris ordinis, qui episcopis in eorum officio subseruiunt. Non enim legitur quod septuagintaduobus discipulis dominus aliquas determinatas parochias assignaret, sed quod mittebat eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quod erat ipse venturus. Oportunum autem fuit, vt præter ordinarios prælatos alij assumerentur ad huiusmodi officia, propter multitudinem fidelis populi, & difficultatem inueniendi sufficientes personas distribuendas singulis plebibus: sicut etiam & religiones ad militandum necesse fuit institui propter defectum secularium principum ad resistendum infidelibus in aliquibus terris,

*Vtrum sit instituenda aliqua religio ad
studendum?*

904

*gl. interl.
ibid.*

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non sit instituenda aliqua religio ad studium scientie. Dicitur enim in Psal. 70. Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini. Glossa tamen id est, in virtutem Christianam. Sed perfectio Christiana virtutis maximè videtur ad religiosos pertinere. Ergo eorum non est studio literarum insistere.

¶ 2 Præterea, Id quod est dissensionis principium religiosis non competit, qui ad unitatem pacis congregantur. Sed studium dissensionem inducit. Unde de Philosophia subsecuta est diuersitas sectarum. Unde & Hieronymus super epistolam ad Titum tamen dicit, Attequam diaboli instinctu studia in religione fierent, diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollos, ego Cephas, &c. Ergo videtur, quod nulla religio debeat institui ad studendum.

*In eom.
ad Paul.
lā et Euf.
super il-
la verba.
Et consti-
tutus co. 1.*

¶ 3 Præterea. Professio Christiana religionis differre debet à professione Gentiliū. Sed apud Gentiles aliqui Philosophiam profitebantur, & nunc etiam aliqui seculares dicuntur aliquarum scientiarum professores. Non ergo religiosis competit studium literarum.

*sirca finē
illius, in-
cipit hęc
epist. Fra-
ter Am-
brof tu
m h. 2. 3.
u. 1. 2. 3.
3. 4. 90.
180 a. 4.*

SED contra est, quod Hieronymus in epistola ad Paulinum tamen inuitat eum ad discendum in statu monastico dicens, Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in cælis. Et infra, Quicquid quaesieris tecum scire conabor.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est tamen, religio potest ordinari ad vitam activam & ad vitam contemplatiuam. Inter opera autem vite activæ principaliora sunt illa, quæ ordinantur directe ad salutem animarum sicut prædicare & alia huiusmodi. Competit ergo studium literarum religiosis tripliciter. Primo quidem quantum ad id quod est proprium contemplatiuæ vite, ad quam studium literarum dupliciter adiuuat. Vno modo directe, coadiuvando ad

contemplandum, illuminando scilicet intellectu, Vita enim contemplatiua, de qua nunc loquimur, principaliter ordinatur ad considerationem diuinorum, vt supra habitum est: in qua dirigitur homo per studium ad considerandum diuina. Vnde in laudem viri iusti dicitur in Psalm. 1. quod in lege Domini meditabitur die ac nocte. Et Eccles. 39. dicitur, Sapientiam antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Alio modo studium litterarum iuuat ad contemplatiuam vitam indirecte, remouendo contemplationis pericula, scilicet errores qui in contemplatione diuinorum frequenter accidunt his qui scripturas ignorant. Sicut in collationibus patrum legitur, quod Abbas Serapion propter simplicitatem incidit in errorem Antropomorphitarum, id est, eorum qui Deum habere humanam formam arbitrantur. Vnde dicit Gregor. in 6. Moral. quod nonnulli, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt. Et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Et propter hoc dicitur Eccles. secundo, Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam. Secundo necessarium est studium litterarum religiosi instituti ad predicandum, & alia huiusmodi exercendum. Vnde Apostolus dicit ad Titum primo, de Episcopo, ad cuius officium huiusmodi actus pertinent, Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem, sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Nec obstat quod Apostoli absque studio litterarum ad predicandum iuncti: quia vt Hieronymus dicit in epistola ad Paul. Quicquid alijs exercitatio & quotidiana in lege Dei meditatio tribuere solet, hoc illis Spiritus sanctus suggererat. Tertio studium litterarum religioni congruit quantum ad id quod est omni religioni commune. Valet enim ad vitandum carnis lasciuiam. Vnde & Hieronymus dicit ad Rusticum monachum, Ama scri-

q. 108. d. 4.

in collat. 10. c. 4.

l. 6. c. 16. parum & princ.

inter pri. & med. incipit hac epist. Frater Am tuam mihi, t. 3 De viuendi forma cir. med. 10. 1. scri-

Scripturarum studia, & carnis vitia non amabis. Avertit enim animum a cogitatione lasciviz, & carnem macerat propter studij laborem, secundum illud Ecclesiast. 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Valet etiam ad auferendam cupiditatem diuitiarum. Vnde Sapient. 7. dicitur, Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Et primi Machab. decimo secundo dicitur, Nos cum nullo horum indignimus, scilicet exteriorum subsidiorum, habentes solatio sanctorum libros qui sunt in manibus nostris. Valet etiam ad obedientiz documentum. Vnde August. dicit in lib. de Operibus monachorum 7. Quz est ista perueritas, lectioi nosse obtemperare dum vult ei vacare? Et ideo manifestum est, quod congrue potest institui religio ad studium litterarum.

*c. 17. cir.
fi. 10. 3.*

gl. ar. ibi.

Ad primum ergo dicendum, quod glossa * ibi exponit illud de littera veteris legis, de qua Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Littera occidit. Vnde non cognoscere litteram, est non approbare litteralem circumfisionem & ceteras carnales obseruantias.

Ad secundum dicendum, quod studium, quod ad scientiam ordinatur, sine charitate inflat, & per consequens dissensiones facit, secundum illud Proverb. 13. Inter superbos semper sunt iurgia. Sed cum charitate edificat & concordiam parit. Vnde prima ad Corinthior. primo, Apostolus cum dixisset, Diuites facti estis in omni verbo & in omni scientia: postmodum subdit, id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Hieronymus tamen non loquitur ibi de litterarum studio, sed de studijs dissensionum, quz per hæreticos & schismaticos intrauerunt in religionem Christianam.

Ad tertium dicendum, quod Philosophi proficiuntur studia litterarum quantum ad seculares doctrinas. Sed religiosi cõperit principaliter intendere studio litterarum pertinen iũ ad doctrinam, quz secundum pietatem est, vt dicitur ad Titum primo. Alijs autem doctrinis intendere, non pertinet ad religiosos, quorum

tota

tota vita diuinis obsequijs mancipatur, nisi in quantum ordinatur ad sacram doctrinam. Vnde August. dicit in fine * musica. Nos dum negligendos esse non existimamus, quos hæretici notionis, & scientiæ fallaci pollicitatione decipiunt, tardius incedimus consideratione ipsarum viarum. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesiæ Catholicæ matris optimæ filios eadem refellendorum hæreticorum necessitate fecisse videremus.

l. 6. Musica in p. 10. 1.

ARTIC. VI.

Vtrum religio qua vacat vitæ contemplatiuæ, sit potior ea qua vacat operibus vitæ actiuæ?

905
Infra 9.
189. a 8.
cor et ad
2. Et op.
10. c. 1. f.
* in Decret. li 3.
11. 31. c.
18. a me.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod religio qua vacat vitæ contemplatiuæ, non sit potior ea qua vacat operibus vitæ actiuæ. Dicitur enim extra de regularibus *, & transeuntibus ad religionem, capitulo Licet, Sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. Et in hoc casu recte præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti. Sed religio est melior, quæ ad maius bonum ordinatur. Ergo videtur, quod religiones quæ ordinantur ad vitam actiuam, sint potiores illis quæ ordinantur ad vitam contemplatiuam.

¶ 2 Præterea, Omnis religio ordinatur ad perfectionem charitatis, vt supra habitum est *. Sed supra illud ad Hebræos 12. Nondum vsque ad sanguinem restitistis; dicit glossa †, Perfectior in vita dilectio nulla est ea, ad quam sancti martyres peruenerunt: qui contra peccatum vsque ad sanguinem certarunt. Certare autem vsque ad sanguinem competit religionibus, quæ ad militiam ordinantur: quæ tamen pertinent ad vitam actiuam. Ergo videtur, quod huiusmodi religiones sint potissimæ.

* ar. 1. et
2. huius
quasi.
† est Au
gusti in
1. r. 27. de
verb. A-
post. 10. 10

¶ 3 Præterea, Tanto videtur esse aliqua religio perfectior, quanto est arctior. Sed nihil prohibet, aliquas religiones ad vitam actiuam ordinatas, esse arctioris obseruantie, quam sint illæ quæ ordinantur ad

Sec. Sec. Vol. 113. Z z vitam

vitam contemplatiuam. Ergo sunt potiores.

S. H. D. contra est, quod Dominus Luc. 10. dicit, operam partem esse Martis, per quam vita contemplatiua significatur.

ar. 1. hu
ius 9.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, differentia vnius religionis ad aliam principaliter quidem attenditur ex parte finis, secundario autem ex parte exercitij. Et quia non potest aliquid dici altero potius, nisi secundum id, in quo ab eo differt: ideo excellentia vnius religionis super aliam, principaliter quidem attenditur secundum religionis finem, secundario autem secundum exercitium. Diuersimodè tamen vtraque comparatio attenditur. Nam comparatio quæ est secundum finem, est absoluta, eo quod finis propter se queritur. Comparatio autem quæ est secundum exercitium, est respectiua: quia exercitium non queritur propter se, sed propter finem. Et ideo illa religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolute potiore, vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si vero sit finis idem, secundario attenditur præ eminentia religionis, non secundum quantitatem exercitij, sed secundum proportionem eius ad finem intentum.

* In collat. 2. c. 3
ante me.

Vnde & in collationibus patrum introducit sententia þ Beati Antonij, qui prætulit discretionem, potius quam aliquis omnia moderatur, & ieiunij, & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs. Sic ergo dicendum est, quod opus vite actiue est duplex. Vnum quidem quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina & prædicatio. Vnde & Greg. dicit in 5. hom. super Ezech. *, quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur, Psal. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt. Et hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quam lucere solum, ita maius est contemplata alijs tradere, quam solum contemplari. Aliud autem opus est actiue vite, quod totaliter consistit in occupatione exteriori, sicut elemosinas dare, hospites

* Ho. 5.
post med.

tes recipere, & alia huiusmodi, quæ sunt minora operibus contemplatiuis, nisi forte in casu necessitatis, vt ex supra dictis * patet. Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissima sunt perfectioni episcoporum, sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt Dionysius dicit septimo capitulo de diu. nemin. * Secundum autem gradum tenent illæ quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est eorum quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præminentia, secundum quod vna religio ordinatur ad altiore[m] actum in eodem genere, sicut inter opera actiua vitæ potius est redimere captiuos, quam recipere hospites. Et in operibus vitæ contemplatiua potior est oratio, quam lectio. Potest etiam attendi præminentia si vna earum ad plura horum ordinetur quam alia, vel si conuenientiora natura habeat ad finem propositum consequendum.

9. 182. a.

c. 7. inter me. & s.

Ad primum ergo dicendum, quod Decretalis illa loquitur de vita actiua, prout ordinatur ad salutem animarum.

Ad secundum dicendum, quod religiones quæ instituantur propter militiam, directius ordinantur ad hoc quod effundant sanguinem hostium, quam ad hoc quod eorum sanguis effundatur: quod proprie martyribus competit. Nihil tamen prohibet huiusmodi religiosis in aliquo casu meritum martyrij consequi, & secundum hoc præferri alijs religiosis, sicut & opera actiua interdum in aliquo casu præferuntur contemplationi.

Ad tertium dicendum, quod arctitudo obseruantiarum non est illud, quod præcipue in religione commoetur, vt Beatus Antonius dicit. Et ista quinquagesimo octauo dicitur, Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Assumitur tamē in religione, vt necessaria ad carnis macerationem, quæ si sine discretio-

ne fit, periculum deficiendi habet annexum, sicut Beatus Antonius dicit. Et idem non est potior religio ex hoc quod habet arctiores obseruantias, sed ex hoc quod ex maiori discretione sunt eius obseruantie ordinatae ad finem religionis: sicut ad continentiam efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinendam cibi & potus (que pertinent ad famem, & sitim) quam per subtractionem vestium (que pertinent ad frigus, & nuditatem) & quam per corporalem laborem.

ARTIC. VII.

Vtrum habere aliquid in communi, diminuat perfectionem religionis?

906

*Opus 17.
ca. 15. Et
opus 10.
cap. 6.*

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod habere aliquid in communi, diminuat perfectionem religionis. Dicit enim Dominus Math. decimo nono, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia que habes, & da pauperibus. Ex quo patet, quod carere mundanis diuitijs, pertineat ad perfectionem Christiane vite. Sed illi qui habent aliquid in communi, non carent diuitijs mundanis. Ergo videtur, quod non attingant omnino ad perfectionem Christiane vite.

¶ 2 Præterea, Ad perfectionem consiliorum pertinet, vt homo mundana sollicitudine careat. Vnde & apostolus 1. ad Corinth. 7. dans consilium de virginitate dicit, Volo vos sine sollicitudine esse. Sed ad sollicitudinem presentis vite pertinet, quod aliqui reseruent sibi aliquid in futurum. Quam quidem sollicitudinem Dominus discipulis prohibet Math. 6. dicens, Nolite solliciti esse in crastinum. Ergo videtur, quod habere aliquid in communi, diminuat perfectionem Christiane vite.

*† Hiero.
ad Nepo-
sianū de
vita cle-
ricorum
ante me.
fo. 2.*

¶ 3 Præterea, Diuitia communes quodammodo pertinent ad singulos qui sunt in communitate. Vnde Hierony. ad Heliodorum episcopum dicit, de quibusdam, Sunt ditiores monachi, quam fuerant seculares. Possident opes sub Christo pauperes, quas sub loquente diabolo non habuerant. Insipiat eos Ecclesia di-

diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Sed quòd aliquis habeat diuitias proprias, derogat perfectioni religionis. Ergo etiam perfectioni religionis derogat, quòd aliquid in communi habeatur.

¶ 4 Præterea, Gregorius in 3. Dialogor. ¶ nar- *c. 14 an-*
rat de quodam sanctissimo viro Isaac, quòd cum ei *te med.*
discipuli humiliter innuerent, vt pro vsu monasterij
possessiones quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus
suz paupertatis custos, fortem sententiam tenebat di-
cens, Monachus qui in terra possessiones quærit, mo-
nachus non est. Quòd intelligitur de communibus
possessionibus, quæ pro communi vsu monasterij ei
offerebantur. Ergo videtur, quòd habere aliquid in
communi, tollat perfectionem religionis.

¶ 5 Præterea, Dominus perfectionem religionis
discipulis tradens Matthæi 10. dicit, Nolite possidere
aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis
vestris, non peram in via: per quod, vt Hieronym. di-
cit, * arguit Philosophos, qui vulgo appellantur Ba-
ctropertæ, qui quasi contemptores seculi, & omnia pro
nihilò ducentes, cellarium secum vehcbant. Ergo vi-
detur quòd reseruare aliquid siue in proprio, siue in
communi, diminuat perfectionem religionis.

SED contra est, quòd Prosper dicit in libro de
Vita* contemplatiua, & habetur 12. quæst. 1. Satis
ostenditur & propria debere propter perfectionem
contemni, & sine impedimento perfectionis posse
ecclesiæ facultates (quæ sunt perfectio communes)
possideri.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra
dictum est ¶, perfectio non consistit essentialiter in
paupertate, sed in Christi sequela, secundum illud
Hieronymi * super Matthæum, Quia non sufficit tan-
tum relinquere, addidit Petrus quòd perfectum est,
scilicet, Secuti sumus te. Paupertas autem est sicut in-
strumentum, vel exercitium perueniendi ad perfe-
ctionem. Vnde in collationibus* patrù Abbas Moyfes
dicit, Ieiunia, vigilia, meditatio scripturarum, nudi

*in hoc lo-
co to 9.
li. 2. c. 9.
parum à
princ. &
habetur 12.
9. 1. c. Ex-
pedi.
p. 9. 184.
a. 3. c. 9.
185. a. 6.
ad 1.
* sup. st-
lud. Mat.
19. Et se-
quuti su-
mus te,
to. 9.
* In col-
lat. 1. c. 7
a med.*

Z. 3. tas

tas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. Est autem priuatio omnium facultatum siue paupertas, perfectionis instrumentum, in quantum per remotionem diuitiarum tolluntur quedam charitatis impedimenta, quæ sunt præcipue tria. Quorum primum est sollicitudo, quam secum diuitiæ afferunt. Vnde Dominus dicit Matthæi decimo tertio, Quod autem seminat in spinis, hic est qui uerbum Dei audit: & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant uerbum. Secundum autem est diuitiarum amor, qui ex diuitijs possessis augetur. Vnde & Hieronymus dicit super Matthæum 7, quod quia diuitiæ habere difficultes contemnuntur, non dixit Dominus Matthæi decimo nono, impossibile est diuitem intrare in regnum celorum, sed difficile. Tertium autem est inanis gloria, uel elatio quæ ex diuitijs nascitur, secundum illud Psal 48 Qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Horum ergo trium primum à diuitijs separari non potest totaliter, siue sint magnæ, siue paræ: necesse est enim hominem aliquantulum sollicitari de acquirendis, uel conseruandis exterioribus rebus. Sed si res exteriores non querantur, uel habeantur, nisi in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem uictum, talis sollicitudo non multum impedit hominem. Vnde nec perfectioni repugnat Christiana uita. Non enim omnis sollicitudo à Domino interdicitur, sed superflua, & nocua. Vnde super illud Matthæi sexto, Ne solliciti sitis anime uestræ quid manducetis, & cetera, dicit Augustinus in libro * de sermone Domini in monte, Non hoc dicit, ut illa non procurentur quantum necessitatis est, sed ut non ista inuentur, & propter ista faciant, quicquid in Euangelij prædicatione facere iubentur. Sed abundans diuitiarum possessio abundantior sollicitudinem ingerit, per quam animus hominis multum distrahitur, & impeditur ne totaliter feratur in Dei obsequium. Alia uero duo,

*Hiero in
Matth 19
sup illa
uerba,
diues dif-
ficile in-
trabit, to-
mo 9.*

*lib 2. ca.
26. in fi.
ca 6. 25
20. 4.*

scilicet amor diuitiarum, & elatio, seu gloriatio de diuitijs, non consequuntur, nisi abundantes diuitias. Differt tamen circa hoc utrum diuitiæ abundantes, vel moderata in proprio, vel in communi habeantur. Nam sollicitudo, quæ circa proprias diuitias adhibetur, pertinet ad amorem priuatum, quo quis se temporaliter amat. Sed sollicitudo quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non querit quæ sua sunt, sed communibus intendit. Et quia religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui, habere aliquid proprium repugnat perfectioni religionis. Sed sollicitudo quæ adhibetur circa bona communia, pertinere potest ad charitatem: licet etiam per hoc impediri possit aliquis altior charitatis actus, puta contemplationis diuinæ, aut instructionis proximorum. Ex quo patet, quod habere superabundantes diuitias in communi, siue in rebus mobilibus, siue in immobilibus, est impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam. Habere autem de rebus exterioribus in communi, siue mobilibus, siue immobilibus quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas per comparisonem ad communem finem religionum, qui est vacare diuinis obsequijs. Si autem consideretur per comparisonem ad speciales fines religionum, sic præsupposito tali fine paupertas maior, vel minor, est religioni accommodata. Et tanto erit vnaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Manifestum est enim, quod ad exteriora & corporalia opera vitæ actiue indiget homo copia exteriorum rerum. Ad contemplationem autem pauca requiruntur. Vnde Philosophus dicit in 10. Eth. ¶ quod ad actiones multis opus est, & quanto vtiq; maiores sunt, & meliores pluribus. Speculanti autem nullo talium ad operationem est necessitas, sed solis necessarijs indiget: alia verò impedimenta sunt ad speculationem.

ZZ 4 Sic

c. 8. ante
med. t. 5.

Sic ergo patet, quod religio quæ ordinatur ad actiones corporales actiue vitæ, puta ad militandum vel ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus careret diuitijs. Religiones autem quæ ad contemplatiuam vitam ordinantur, tanto perfectiores sunt, quanto eorum paupertas minorem eis sollicitudinem temporalium ingerit. Tanto autem sollicitudo temporalium rerû magis impedit religionem, quanto sollicitudo spiritualium maior ad religionem requiritur. Manifestum est autem, quod maiorem sollicitudinem spiritualium requirit religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata alijs tradendum per doctrinam & prædicationem, quam illa quæ est instituta ad contemplandum tantum. Vnde talem religionem decet paupertas talis, quæ minimam sollicitudinem ingerat. Manifestum est autem, quod minimam sollicitudinem ingerit conseruare rationi vsui hominum necessarias, tempore congruo procuratas. Et ideo tribus gradibus religionum suprapositis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis religionibus quæ ordinantur ad corporales actiones actiue vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium. Illis autem religionibus, quæ sunt ordinata ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales religiosos per se, vel per alios hospitalitatē tenere & pauperibus subuenire. Illis autem quæ ordinantur ad contemplata alijs tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruantur: & hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondabantur ei oblata, vt habetur Ioannis duodecimo. Nec obstat quod Hieronymus dicit super Matthæum *, Quod si quis obijcere voluerit quomodo Iudas pecuniam in loculis portabat, respondebimus quod rem pauperum in vsus suos conuertere,

*in fine cō
mentarij
ad c. 17.
Matth. 23*

uertere, nefas putauit, scilicet soluendo tributum: quia inter illos pasperes præcipue erant eius discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorū Christi expendebatur. Dicitur enim Ioannis 4. quod Discipuli abierant in ciuitatem, ut cibos emerent: & Ioannis 13. dicitur quòd discipuli putabant, quia leucos habebat Judas, quòd dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Ex quo patet, quòd conseruare pecuniam, aut quascumque alias res communes ad sustentationem religiosorum congregationis eiusdem, vel quorumcumque aliorum pauperū, est perfectio- ni conforme: quam Christus docuit suo exemplo. Sed etiā discipuli post resurrectionem, a quibus omnis religio sumpsit originem, pretia prædiorū conser- uabant, & distribuabant illa, prout cuique opus erat.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut dictum est *, ex illo verbo Domini non intelligitur quòd ipsa paupertas sit perfectio, sed perfectionis instrumen- tum. Et sicut ostensum est †, minimum est inter tria principalia instrumenta perfectionis. Nam votum continentie præminet voto paupertatis, & votum obedientie præfertur utrique. Quia verò instrumen- tum non propter se quæritur, sed propter finem, non tanto aliquid sit melius, quanto maius est instrumen- tum, sed quāto est magis fini proportionatum. Sicut medicus non tanto magis sanat, quanto maiorem dat medicinam, sed quanto medicina est magis propor- tionata morbo. Sic ergo non oportet quòd religio tanto sit perfectior, quanto maiore habet paupertatem, sed quāto eius paupertas est magis proportiona- ta fini cōmuni & speciali. Et si daretur quòd excessus paupertatis faceret religionē perfectiorem, secundū hoc quod est pauperior, non tamen faceret eā perfe- ctio- rem simpliciter. Possset enim esse quòd alia reli- gio excederet in his quæ pertinent ad continentiam & obedientiā. Et sic esset simpliciter perfectior: quia quod in melioribus excedit, est simpliciter melius.

Ad

qm. 184.
ar. 3.
qm. 186.
ar. 8.

Ad secundum dicendum, quod per hoc quod Dominus dicit Matt. 6. Nolite solliciti esse in crastinum, non intelligitur quod nihil referretur in futurum. Hoc enim periculosum esse beatus Antonius in collationibus patrum * ostendit dicens, quod priuationem omnium facultatum ita sectantes, ut ex ipsis nec quidem unius diei victum sibi met, vnumve denarium speresse parerentur, & alia huiusmodi facientes, ita vidimus repente deceptos, ut arripit opus non poterint congruo exitu terminare. Et ut Augustinus dicit in lib. de Operibus monachorum *, si hoc verbum Domini, Nolite solliciti esse in crastinum, ita intelligatur, ut nihil in crastinum reponatur: non poterunt ista seruare qui se per multos dies à conspectu

*in collat.
2. Abbat.
tis M. ysi
c. 1. circa
med.*

*in c. 23. a
med. 10. 3*

*cap. 23. a
med.
† c. 29. in
princ.*

*glos. ord.
ex comen.
Amb. cir
ca fin. c. 6
Matt.
† hom. 16
in Matt.
in fin. in
opere im-
perfecto,
10. 2.*

** lib. 7. de
ser. Dom.
in monte
c. 25 non
procul à
fin. 10. 4.*

hominum separatos includunt, viuentes in magna intentione orationum. Et postea subdit *, An forte quod sunt sanctiores, eò sunt volucris dissimiliores? Et postea subdit †, Si enim urgeantur ex Euangelio, ut nihil reponant in crastinum, rectissime respondent, Cur ergo ipse Dominus oculos habuit ubi pecuniam collectam reponeret? Cur tanto ante fame imminente frumenta sanctis patribus missa sunt? Cur Apostolicè indigentia sanctorum necessaria procurarunt? Quod ergo dicitur, Nolite solliciti esse in crastinum, secundum Hieronymum *, sic exponitur, Sufficit nobis presentis temporis cogitatio; futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Secundum Chrysostomum sic †, Sufficit labor quem pateris propter necessaria, noli superflue pro superfluis laborare. Secundum Augustinum sic *, Cum aliquid boni operamur, non temporalia quæ significantur per crastinum, sed æterna cogitemus.

Ad tertium dicendum, quod verbum Hieronymi habet locum ubi sunt superabundantes diuitiæ, quæ habentur quasi proprie, vel per quarum abusum etiam singuli de communitate superbiunt & lasciuunt. Non autem habet locum in diuitijs moderatis communiter conseruatis ad solam sustentationem vitæ, qua

quæ singuli indigent. Eadem enim est ratio quodd singuli vrantur his quæ pertinent ad necessaria vitæ, & quodd communiter conferuntur.

Ad quartum dicendum, quodd Isaac possessiones renuebat accipere, quia timebat ne per hoc ad superfluas diuitias veniretur, per quarum abusum impediretur religionis perfectio. Vnde Greg. * ibidem subdit, Sic metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari diuites solent perituras diuitias custodire. Non autem legitur quodd renuerit recipere aliqua necessaria ad vitæ sustentationem communiter conferuandam.

Ad quintum dicendum, quodd Philosophus in 1. Polit. * dicit, Panem & vinum, & alia huiusmodi esse diuitias naturales, pecunias verodd diuitias esse artificiales. Et inde est quodd quidam Philosophi volebant vni pecunia, sed alijs rebus, quasi secundum naturam viuentes. Et ideodd Hieronymus ibidem † per sententiam Domini, qui similiter vtrumque interdicit, ostendit quodd in idem redit habere pecuniam, & alias res vitæ necessarias. Et tamen licet Dominus huiusmodi non portari in via ab his qui ad prædicandum mittebantur, ordinauerit, non tamen ea in communi conferuari prohibuit. Qualiter tamen illa verba Domini intelligenda sint, supra ostensum est †.

ARTIC. VIII.

Utrum perfectior sit religio in societate viuentium, quam agentium solitariam vitam?

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quodd perfectior sit religio in societate viuentium, quam agentium solitariam vitam. Dicitur enim Ecclesiasta 4. Melius est duos esse simul, quam vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Igitur videtur perfectior esse religio in societate viuentium.

¶ 2. Præterea, Matth. 18. dicitur, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum. Sed nihil potest esse melius quam Christi societas. Ergo videtur, quodd viuere in congre-

loc. cit. in arg.

e 5. & 6. 10. 5.

Super illud Mat. 10. Nolite possidere aurum: id innuit, 20. 9.

† 9. 185. ar. 6. ad 2. & 1. 2. 9. 108. a. 2. ad 3. 907

gatione sit melius, quam ducere solitariam vitam.

¶ 3 Præterea, Inter alia religionis vota votum obedientiæ excellentius est, & humilitas est maxime Deo accepta. Sed obedientia & humilitas magis observantur in conuersatione quam in solitudine. Dicit enim Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum, In solitudine citò subrepat superbia, dormit quando voluerit, facit quod voluerit. E contrariò autem ipse docet eum qui in societate viuit, dicens, Non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis, subijciaris cui non vis, seruias fratribus, præpositum monasterij timeas vt Deum, diligas vt parentem. Ergo videtur, quòd religio in societate viuentium sit perfectior ea quæ solitariam vitam agit.

¶ 4 Præterea, Dominus dicit Luce vndecimo, Non accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio. Sed illi qui solitariam vitam agunt, videntur esse in abscondito positi, nihil vtilitatis hominibus afferentes. Ergo videtur, quòd eorum religio non sit perfectior.

¶ 5 Præterea, Id quod est secundum naturam hominis, videtur ad perfectionem virtutis pertinere. Sed homo est naturaliter animal sociale, vt Philosophus dicit in primo Politicorum*. Ergo videtur, quòd agere solitariam vitam non sit perfectius, quam agere vitam socialem.

SED contra est, quod August. in lib. de Operibus monachorum, illos sanctiores esse dicit, qui a conspectu hominum separati nulli ad se præbent accessum, viuentes in magna intentione orationum.

RESPONDEO dicendum, quòd solitudo sicut & ipsa paupertas, non est ipsa essentia perfectionis sed perfectionis instrumentum. Vnde & in collationibus patrum dicit Abbas Moyses*, quòd pro puritate cordis solitudo sectanda est, sicut & ieiunia & alia huiusmodi. Manifestum est autem, quòd solitudo non est instrumentum congruum actioni, sed contemplationi,

de viuendi forma vnde me. to. 1.

† parum post verba citata

c. 2. paulo post prin. to. 5.

† c. 23. 2. med. illius, to. 3.

** in collatione 1. c. 7. prin.*

secun-

secundū illud Osee 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Vnde non congruit religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ, siue corporalia, siue spiritualia: nisi forte ad tempus, exemplo Christi, qui vt dicitur Luca 6. Exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Competit autem religionibus quæ sunt ad contemplationem ordinatæ. Considerandum est tamen quod id quod est solitarium, debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem, perfecti. Et ideo solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, ex solo diuino munere, sicut patet de Ioan. Baptista, qui fuit repletus Spiritu sancto, adhuc ex utero matris suæ. Vnde cum adhuc esset puer, erat in desertis, vt dicitur Luca primo. Alio modo, per exercitium virtuosi actus, secundum illud ad Hebræos quinto, Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Ad exercitium autem huiusmodi iuuatur homo ex aliorum societate dupliciter. Vno modo, quantum ad intellectum, vt instruat in his quæ sunt contemplanda. Vnde Hier. dicit ad Rusticum monachum, Mihi placet vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas. Secundo, quantum ad affectum. vt scilicet noxiæ affectiones hominis reprimatur exemplo & correctione aliorum: quia vt dicit Gregorius trigesimo Mor. super illud, Cui dedi in solitudine domum, Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Et ideo vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis. Solitudo autem competit iam perfectis. Vnde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum, Solitariam vitam reprehendimus minimè: quippe quæ sæpe laudauimus. Sed de nido monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui speciem conuersationis suæ multo tempore didicerunt. Sicut ergo id quod iam

non multū remote ante med. so. x

c. 23. non remote à fine.

de viuendi forma ante med. dium, x

iam

iam perfectum est, præminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum si debite assumatur, præminet vitæ sociali. Si autem ab actu præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per diuinâ gratiam suppleatur quod in alijs per exercitium acquiritur: sicut patet de beatis Antonio & Benedicto.

Ad primum ergo dicendum, quod Salomon ostendit melius esse quod sint duo simul, quam vnus, propter auxilium quod vnus habet ab alio vel ad subleuandum, vel ad fouendum, vel ad spiritualiter colesaciendum: quo quidem auxilio iam non indigent qui sunt perfectionem assecuti.

Ad secundum dicendum, quod dicitur i. Joannis. Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Sicut ergo Christus est in medio eorum qui inuicem per dilectionem proximi sociantur, ita habitat in corde eius qui diuinâ contemplationi insistent per dilectionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod actu obedire est necessarium his qui indigent exerceri secundum directionem aliorum ad perfectionem capiendam. Sed illi qui iam perfecti sunt, spiritu Dei sufficienter agunt, ut non indigeant actu alijs obedire. Habent tamen obedientiam in preparatione animi.

Ad quartum dicendum, quod sicut August. dicit in 19. de Ciuit. Dei *; A studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile pertinet otium. Quod autem aliquis super candelabrum ponatur, et pertinet ad ipsum, sed ad eius superiores. Quæ facina si non imponatur, ut August. ibidem subdit *, contemplandæ veritati vacandum est, ad quam plurimum valet solitudo. Et tamen illi qui solitariam vitam agunt, multum viles sunt generi humano. Vnde August. dicit in lib. de Moribus Ecclesiæ * de his loquens, Panis solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui parati

mentibus inhaerent. Videntur autem nonnullis res humanas plusquam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus profit, & vita ad exemplum, quorum corpora, videre non sinimur.

Ad quintum dicendum, quod homo potest solitarii vivere dupliciter. Vno modo, quasi societatem humanam non ferens, propter animi seuitiam. Et hoc est bestiale. Alio modo, per hoc quod totaliter diuinis rebus inhaeret. Et hoc est supra hominem. Et ideo Philosophus dicit in primo Politicorum, quod ille qui alijs non communicat, est bestia, aut Deus, id est diuinus vir.

QVÆST. CLXXXIX.

De Religionis ingressu, in de. em articulos diuisa.

D Eince considerandum est de ingressu religionis.

¶ Et circa hoc quaruntur decem.

- ¶ Primo, vtrum illi qui non sunt exercitati in obseruantia praeceptorum, debeant ingredi religionem?
- ¶ Secundo, vtrum liceat aliquos voto obligari ad religionis ingressum?
- ¶ Tertio, vtrum illi qui voto obligantur ad religionis ingressum, teneantur votum implere?
- ¶ Quarto, vtrum illi qui vouent religionem intra re, teneantur ibi perpetuo remanere?
- ¶ Quinto, vtrum pueri sint recipiendi in religione?
- ¶ Sexto, vtrum propter parentum obsequium aliqui debeant retrahi a religionis ingressu?
- ¶ Septimo, vtrum presbyteri curati, vel archidiaconi possint ad religionem transire?
- ¶ Octauo, vtrum de vna religione possit aliquis transire ad aliam?
- ¶ Nono, vtrum aliquis debeat alios inducere ad religionis ingressum?
- ¶ Decimo, vtrum requiratur magna deliberatio cum consanguineis & amicis ad religionis ingressum?